

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aquissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONICA RODZINNA", Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM
Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAE SEPTENTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

VARSAVIAE POLONORUM
Krakowskie Przedmiescie, 6

LONDON W.
28, Orchard Street.

NEW YORK CINCINNATI
52, Barclay Street. 436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

HISTORICARUM RERUM ET LATINORUM URBANI CONVENTUS	v. u.
« BALKANICA RES »	P. Rossani.
DE NOSTRA AEDIFICANDI RATIONE	A. Castellini.
EX BRITANNIA. De linguis celticis in Britannia adhuc conservatis	D. Macrae.
DE ALINDA BRUNACCI BRUNAMONTI ITALORUM POETRIA	I. Antonelli.
BENEDICTINUM MONTIS CASSINI COENOBIUM	G. P.
QUAESITIS RESPONSIO. Quaestio naturalis	P. Alexis.
EX BATAVIA. De certamine poetico Hoeufftiano	H. T. Karsten.
DE « DISCIPLINA ARCANI » ANIMADVERSIONES CRITICAE	S. Figielksi.
DE PHOCARUM VENANDARUM RATIONE	Hersilus.
FABULAE SELECTAE FONTANII A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE	Fr. Xav. Reuss.
LIBRORUM RECENSIO	P. Angelini.
SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS. De recta pronunciatione latinae linguae dialogus	I. Lipsius.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
AENIGMATA	Fr. Palata.

In tertia operculi pagina:

VARIA: Bibaces plantae. - Ioci	P. d. V.
EPISTOLARUM COMMERCIA	A secretis.
LIBRI RECENS DONO ACCEPTI	

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCLXIIII

Sociis et lectoribus Commentarii nostri vehementer commendamus instrumentum,
quod, rei proprietate sibi vindicata, confecit

SOCIETAS LATIENS EDITRIX

(ROMAE, Corso Umberto I, 219),

cui machinae nomen est:

SCRIPTOR AUTOMATICUS


(ITALICE "COPISTA AUTOMATICO ,);

quippe inter horas tres quodvis scriptum, qualibet in charta, millies reddat: epistolas, litteras eodem exemplo ad plures dimittendas, consultationes, edicta, invitationes, nuncia, acceptorum et datorum rationes, libellos, lineas vel figur as descriptas, exemplaria formas, musicen et alia.

Societas ipsa fidem praestat Scriptorem hunc *Automaticum* tribus horis ex uno chirographo mille et ultra exempla exhibere, eaque omnia pariter nitida atque perfecta; — quinque temporis momenta satis esse ad eius usum discendum; — chirographumque celeriter scribendo, non secus ac communi quovis calamo, parari.

Instrumentum, utili spatio disponens cent. 23×34 novum et ex omni parte perfectum **venit** libell. 45; atramenti ampulla (per aliquot menses sufficiens) libell. 4; folia singula ad chirographum scribendum libell. 0.15.

Premium solvi potest cum traditur merx; portatio vero fit ad impendium iubentis.
Una cum Automatico Scriptore paucae eaeque simplices institutiones ad rite ipso utendum neces-
sariae mittuntur.



quisque habebit et experimentorum specimina et opusculum continens **plus sexcento** de re iudicis.

Omnia potantur a

SOCIETATEA TATILOR EDITRICE

(Romae, Corso Umberto I, 219)

SOCIIS MONITUM

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr.
an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis*
administratorum officium instituimus, quod de
negotiis Ecclesiasticis sit; de expediendis sci-
licet rationibus omnibus, quae apud Romanae
Ecclesiae «Congregationes» aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit,
profecto temperantiam in pretio, studium at-
que alacritatem in opere inveniet.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Itallam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.



HISTORICARUM RERUM ET LATINORUM
URBANI CONVENTUS.

DUM scribimus, in Collegio Romano, in sede illa nobilissima litterarum et artium, maximo clarissimorum viorum concursu, historicarum rerum conventus est congregatus. *Vox Urbis*, quae sollemnia scientiae usque prosequuta est, nec umquam in re deficiet, non solum laetissimo animo tot doctorum concilium salutat, sed inquisitionum eorum per illum particeps, qui primas agit in Commentario redigendo, curabit ut studia ac proposita, ea saltem quae propius nos attingunt, in latam epitomen coacta ex paginis nostris passim vulgentur.

Plaudit interim litteratissimis illis viris, qui in diversarum gentium coetu disceptationes latino sermone instituerunt, novum praebentes argumentum hunc revera unum itemque universum ad communem sapientum intelligentiam esse posse; ac simul gratias refert amplissimae auctoritatis Taurinensi doctori Hectori Stampinio, qui inter antiquitatis et scriptorum veterum literate peritos de philologiae studiis in Italia progredientibus disserens, humannissime multaque cum benevolentia de nostro opere dixit, quippe quod « demonstret quam vivus adhuc sit cultus latini sermonis veluti instrumentum ad res hodiernas significandas quae sit atque exhibiti ».

Ceterum quaestio, ad quam pro viribus sex iam annos intendimus, aperte proponetur in Latinorum conventu, qui, proxime, historicum hunc sequetur; neque est dubitandum quin *Vox Urbis* in primis ordinibus inveniat.

v. u.



“BALKANICA RES”

MACEDONUM res eae saepenumero esse vindicantur, unde quies Europaeorum crebra discrimina metuat. Ibi enim ignis abditus cineribus aestuat, qui Turcarum Graecorumque oras tandem aliquando pervastabit. Quam ut opprimerent flammarum nostrarum gentium magistratus sedulo hactenus advigilantes obtinuere, non id tamen in perpetuum assequuntur. Obstant enim Macedonum iura, obstant iniuriae Turcarum, obstat libertatis nova haec cupidio, qua a saeculo omnes trahimur.

Rumeliae Turcarumque oras, Bulgarorum fines, Bosniacas regiones et Albanensium Thessalorumque limina Macedonum gens attingit. Eorum igitur terras commixto genere colunt Bulgari, Serbi, Graeci, Rumeni omnes simul; Turcae autem perpauci, quos penes tamen omnis vis publica omnisque auctoritas est.

Ceterum fera incolarum indoles, solum sterile, concordia nulla facile efficerunt ut vi metuque hactenus dominari incolas Turcae valuerint. Gladio itaque reguntur negotia, missilibus manet imperium; inde reguli, Byzantina ex urbe missi, unam curam sibi proponunt, ut suam quisque crumenam publica pecunia ditet; vectigalia aequitate nulla decernunt et dividunt, terrore executi cives: si qui humanius ingenio praesides fuerint, eos omni ope praepediunt, tandemque removent; dividentes imperant, odia mutua inter varias gentes omni animo fovent. Accedit quod, Graeci licet et genere et sanguine et multitudine ceteris praestant, Serbi et Bulgari iuniore stirpe nati Savorum ingenium ut emineat maxime satagunt; inde Turcarum tutior securitas ex subditorum discordia.

Incitant insuper animorum divisionem inde Austri, hinc Russi; alteri enim litus Macedonicum appetunt et mare Aegeum, alteri Adriatum mare; utrique opposito labore assecbras sibi adscire conantur quam possint plurimos. Hisce aemulationibus communes intentus hebescant, franguntur libertatis adipiscendae conatus, spesque omnis forte de re tandem aliquando pacifico iure componenda exsulat.

Iamvero, saeculo mox acto, non semel nostrorum arma adeo potuere, ut christicolas infidelibus subiectos sua e servitute vindicarent. At fuerunt haec quasi assumptae personae et scenicae larvae, quibus occultarentur cupiditates, plerumque abditae, sive imperii, sive pecuniae, sive ambitionis omnis. Illis freti desideriis aut repellere aut frustrari christianarum gentium iura Turcae sciverunt; quod si tandem, multis post negotiationes dedere verba, ea opere et facto, post discriminabactum, negarunt. Hac arte apparuit etiam Armenorum innumerabilem prolem tuto gladio esse trueidatam; iis deni-

que modis cautum, post peractum bellum cum Russis, ne articulus foederis Berolinensis viginus tertius umquam servaretur de Cretensium innovanda libertate, unde ea seditio flagravit tandem, quae ad arma Graecos, pessimo quamvis fato, concitatavit. Similia, eodem foedere, de ceteris Christianorum provinciis statuta fuerant, quae numquam servata sunt. Inde Rumeliorum Bulgarorumque coniunctae vires, et nova respublica condita. Sed Macedonum regio una cum Albanensium fatis adhuc gubernanda apparet, neque de populo illo gravis ulla cura sumpta est, quamquam Berolinenses legati, una cum Albanensium nonnulla caverant, quae, innovata gradatim, ad christicolarum iura prorsus vindicanda procederent. Primo tempore immo servari quodammodo Turcarum fides visa; immo anno MDCCCLXXX mense Aprili Sawas regulus, alter ex imperatoriis administris, sponsiones novas esse ratas et peractas nunciavit, quas Berolinenses legati quaesierant; eas modo dixit, si Rumeliorum legatis placuisset, se exequitioni traditurum. At Iunio mense cum convenere Rumeli, nihil peractum invenere; contra, mentita omnia et simulata, salutem ab regulorum iniuria et arbitrio nullam.

Idecirco Europaearum gentium legati ex integro novas rogationes redigere atque propone, pro Macedonum libertate certa iura conflare, ita ut Imperatori nihil relinquatur nisi auctoritas quaedam suprema, et negotia nostrae intercessioni essent commendata, quasi novae pacis et concordiae tutum praesidium, et firma spes.

Nihilominus viginti iam ab annis quiescent Byzantina in aula rogationes, nihil umquam servatum, Macedonibus una salutis ratio relicta, ut seditione conclamata ruerent tandem ad arma. Quid autem mirum? Nonne cum de bello Pontico res fuit, ut Anglorum Gallorumque auxilia adipisceretur, tot ac tanta spopondit Byzantinus ille rex, quae numquam re tenuisset? Nonne ideo vigesimo inde ab anno novum bellum exarsit ex quo parta Serbis, Bulgarisque Rumelisque libertas est?

Perpetuis igitur his de caussis novissima seditione orta, neque omnino oppressa sanguine. Obtestantur Turcae libenter sese daturos novas leges si modo subditi recedant ab armis: illi autem cognitam heu satis fidem aspernantur. Haec fiunt dum Russi et Austri seditionem componere nituntur, ne omnia simul pessimum dentur, Bulgaris causam seditionis imputantes, timentes vero ne Bulgarorum reipublicae Macedones sese aliquando tradant et a Danuvio flumine ad mare Aegeum in unam gentem coalescant...

Hoc in discriminabactum iacet quam vulgo dicunt « Balkanica res ».

P. ROSSANI.

DE NOSTRA AEDIFICANDI RATIONE.

SATIS constat, ex quo ferro magis magisque utamur, fieri non posse quin aedificiorum quoque species immutetur; cum alia in iis alter disponantur, nonnulla usui iam non sint et multa priorum occupent locum. Ratio enim illa in aedificando, quam Graeci et Romani nobis tradiderunt, optima atque speciosa quidem est, sed naturam suam ex ipsa habet materia, qua in aedificatione utebantur. Cum igitur materia ipsa immutetur, rationem quoque quam dicimus immutari necesse est. Sed hoc est maximi momenti, aedificiorum immutationem eam esse ut pulera puleris sucedant, non turpia decoris. Cum enim optimo atque acri iudicio sese praestiterint antiqui, nostra haec erit virtus, hodierna aedificia cum antiquis non sine laude comparari posse.

Sed nobis rem diligentius inquirentibus multae in aedificando repartae sunt rationes. Aedificia habemus tota e ferro confecta, quibus nihil cum antiquis commune est: columnae enim gracillimae sunt, epistyla levia, parietes tenuissimi, omnia innectis trabibus distincta, varia, reticulata. Quibus in rebus non solum graecae venustati et diligentiae locus non est, neque esse potest, cum aliam rationem atque formam lapides requirant, aliam ferrum; sed, quod nobis moleste ferendum est, compages haec novissima puleri quidquam nondum assecuta est, neque his temporibus assecuturam se esse significat. Parisiorum enim turris illa sublimis, quam Eiffel peritissimus architectus totam ferro exstruere non dubitavit, est quidem illius scientiae atque artis mirabile specimen, sed minime venustatis. Neque est qui dicere audeat in hac turri et in ceteris omnibus huius generis aedificiis novam quandam inesse venustatem, quae in intelligentiam nostram non cadat, cum veterum aedificiorum species atque spectandi consuetudo iudicio nostro officiant, quominus aliae aedificiorum species probentur. Ita enim se res habet, si peritissimi illi viri qui ferro tantum in aedificando utuntur certam aedificandi rationem atque certam speciem invenissent; sed cum ab iis nihil repertum sit quod ut pulcrum, ut venustum, ut probabile praecipi possit, quid mirum si cives quod laudent non inveniant?

Sed multo frequentius aedificia illa conduntur, quorum ferreæ trabes et columnæ et iuncturæ lapidibus et latericiae materiae, et caementis aptantur. In iis, cum nullam, ut ita dicam, ferream venustatem adspexeris, caementa quoque a venustate longissime absunt. Lapides enim et latericia materia præbent adspicientibus nescio quid grave atque ingens; cum ferrum semper exile, semper gracile, semper pensile sit. Quo fit ut in huius generis aedificatione antiqua illa ratio a maioribus tradita cum nova ferri aptatione atque sustentatione repugnet; neque alind assequatur, nisi ut odiosa videatur compago, neque novae porticus, columnæ, fenestrae, coronæ, scalæ, ageres nova specie delectent, cum veterem exuerint atque repudiaverint.

Cum autem considerationem nostram in illam aedificationem intendimus ad romana atque graeca exemplaria institutam, reperimus quidem multos esse viros peritissimos qui censeant

his temporibus neque sine laude, neque sine utilitate ita perfici posse aedificia nostra, ut veterum aedificiorum et formam, et rationem, et speciem, et venustatem effingant atque servent. Sed in hac re persaepe fit quod numquam fieri putaveris. Sive enim imperitia nostra, sive mutata iudicij animique nostri natura, quod facile consecuti sunt antiqui, nos difficile consequi possumus. Neque in modis aut formis, neque in inventione bono atque acri iudicio sumus. Multa quae sunt inventionis optima esse putamus, quae non sunt; multa veterum aedificiorum elegantiam, diligentiam, maiestatem renovare censemus, cum turpia sint; varietatem quandam querimus, quam numquam antiqui quaerendam esse existimarent; porticus et parietes ornamentis male oneramus; artem denique aedificandi ea volumus esse natura, ut delectationem præbeat, quam præbere non potest. Quibus rebus censemus, cum tot optima exempla nobis tradiderint antiqui, nullam laudem, nisi maxima cum difficultate, nos esse assecuturos.

Sed novissimis temporibus non solum Graecorum et Romanorum aedificationes, maiorum nostrorum exemplo, imitari studemus; sed subsequentium etiam aetatum; neque ulla ratio ab ineunte saeculo quinto usque ad duodecimesimum fuit, quae nobis interdum non sit in deliciis. Et exilibus tortis columnis, et arcubus in acutum curvatis et inter se invicem contextis, et geminis fenestræ templo villaque persaepe decorantur: nonnulli aut decimi quarti saeculi severitatem diligunt, aut modestiam et elegantiam et timidam suavemque diligentiam decimi quinti requirunt; multi decimi sexti majestate delectantur, neque desunt qui subsequentis aevi luxuriam atque deliramenta, aut muliebrem exquisitam varietatem et iucundam lasciviam ad vitam revocare contendant. Neque id male est; aliter enim ac in litteris se habet res in aedificatione. Cum enim insanii esset hominis his temporibus aut heroica carmina exarare, aut vetusta italicæ lingua annales conficere, nihil habet absurdæ aedificiorum frontem et cubicula omnibus illis præteritarum aetatum rationibus exstruere; quin etiam hortorum ambulationes aegyptiacis porticibus exornare decet atque adumbrare.

Sed sanae mentis homo recte quaesierit: Cum et Graeci et Romani et omnium aetatum gentes peculiarem aedificandi rationem atque artem habuerint, neque ab aliis mutuati sint, cur nos nullam habere, aut novam excogitare videmur? – Et invenimus, et habemus! – animose amici nostri responderint. – Quae enim «nova ratio» nunc anglice appellatur, sane nostra et novissima est. – Hanc esse et nostram et novissimam nemo dubitaverit; non solum enim in ea et columnas, et arenas, et coronas, et omnia quae sint aedificiorum maioribus nostris plane ignota fuisse comperimus; sed omnem etiam in cubiculis nostris supellecitem ad illius exemplar institutam esse videmus. Sed haec est summa rei: utrum haec nova ratio vi sua tam laeta sit, ut et nova recte dici et in locum omnium veterum probatarumque rationum sese sufficiat sperare possit; an potius nescio quid sit leve, fragile, caducum, ut frustra in posterum ab omnibus gentibus probari atquecoli contendat. Equidem cum formas et ornamenta

illa considero, in quibus nonnulla a sano iudicio sunt aversa, nonnulla vane vel incongrue facta, et cum serpentia illa intortaque lineamenta intenor, quae et angues et sesquipedales hirudines et quassas furiarum comas effingunt, nihil in his omnibus esse censeo, quod veterum aedificiorum venustates posteritati suadeat esse repudiandas. Neque iucundam illam varietatem suavemque gracilitatem, qua in aedificiis vulgo gothicis appellatis delectamur, aemulaturas esse sperant; nedum longe longe remota sint a divina illa templorum specie, qua et Romani et Graeci oculos pascebant. Quorum templorum nihil est quod fastidiveris, nihil quod immutaveris, nihil quod addideris. Tanta enim est vis puleritudinis, ut omnem iudicantium repellat audaciam.

Verumtamen ego neque eorum petulantiam probo, qui rationes omnes a maioribus traditas quasi obterere audent, neque querelas hominum novas res fastidientium audio; sed rectius novam quandam aedificandi rationem attuando futuram esse censeo, quae bene de posteritate meritura sit. Quaevis enim ars, sive dicendi, sive pingendi, sive scalpendi, sive aedificandi, per aetas cum titubatione quadam atque cunctatione novis rebus studet; neque nisi cum permulta subierit pericula et castigationes animadversionesque experta sit, certa atque probata puleritudine exornari consnescit. Neque video eur non etiam nobis hodiernis hominibus aliquid non invita Minerva suspicere liceat; præsertim cum in nonnullis novissimis aedificiis quasi hominum conatus sint minime delirantium minimeque acri iudicio parentium; et, multorum ingenii insane bacchantibus, liceat nonnullas efflorescentes conspicere venustates quae, ut optimam non præbeant spem, conjecturam tamen capere sinunt, fore ut aliquando aetas haec nostra, nedum iudicij et intelligentiae suae non pudeat, sed probetur sane atque laudetur.

ANGELUS CASTELLINI.

EX BRITANNIA.

De linguis celticis
in Britannia adhuc conservatis.

DUAS linguarum familias maximas in Insulis Britannicis habemus, alteram anglicam, celticam alteram, stemmata Indo-germanicae ambas.

Priscis temporibus magnam partem Europæ habitabant Celtæ; non solum enim Gallia, Batavia, Insulis Britannicis, sed etiam magna parte Germaniae potiti sunt. Ipsi circa an. CCL ante Christum natum, itineribus in interiore regiōnem Asiae minoris factis, provinciam illam Galatiae nomine ab eo tempore notam, in suam potestatem redegerunt; ipsi anno CCCXC magnam, Brenno duce, cladem Romanis ad Al Liam intulerunt.

Postea, a Teutonibus e Germania, a Romanis ex Italia exacti sunt.

Gallia et maiore parte Insulae Britanniae a C. Iulio Caesare superatis, gallici celtæ diffusi per Germaniam cum Gothis ex parte septentrionali, cum Francis meridionali se miscuerunt.

Quinto saeculo Celtae britannici ab Anglis et Saxonibus devicti ad Walliam (*Wales*) et Scotiam confugerunt.

In Scotia quidem regnum celticum permanesit usque ad saeculum undecimum, quo tempore, Alexandro regnante, sermonem et mores anglicos excepit, ita ut nunc in Scotia lingua celtica (*Gadelica*) et celtici mores domicilium inter montanos ex parte septentrionali et occidental solum habeant.

In Wallia autem regnum celticum usque ad saeculum tertium decimum constitutum, ibique vulgo hodie Cymrice populus loquitur.

In Hibernia porro, olim domicilio doctrinæ et scientiae, lingua celtica (*Irish*) adhuc prævalet, et antiquam linguam ad gloriam pristinam restituere Hibernii sive domi sive peregre nunc conantur (1).

Denique lingua celtica (*Manx*) utuntur quidam ex incolis Monaviae, quae insula parva ad septentrionalem partem Angliae adiacet. Olim vere διάλεκτος celtica in Cornubia (*Cornwall*) audiebatur, sed cum vetere femina, Maria Pengarvan nomine, anno aetatis nostræ MDCCLXXVIII, desissee dicitur.

Itaque linguae celticae in Insulis Britannicis adhuc conservatae, sunt:

Celtica	Gadelica	Hibernica
	Gadelica	Monavica
	Cymrica	Cymrica
		(Cornubica)

Sed hae linguae etsi eadem radice ortae sint, valde inter se differunt, adeo ut neque Scotus (*Celta*) neque Hibernius incolam Wallensem celtice loquentem, vixque Scotus Hibernum aut Monaviensem intelligat, quamvis Scotus haud multa difficultate libros Hibernica aut Monavica lingua scriptos legere possit.

Diutissime lingua gadelica in Scotia negligata est, sed contio magna, quae *Mòd* celtice appellatur, paucis abhinc annis instituta et quattuor habita, multam operam confert, speciosis praemis propositis, ad linguam praesertim in scholis restituendam et fovendam.

Nec memoria deponendum est magnum in hanc rem optatam auxilium a Germanis exhibatum per optimas Gadelicae linguae grammaticas a Zeuss, Windisch, Ebrard aliisque conscriptas.

Multa verba habet gadelica lingua cum romana et graeca communia, quorum pauca – pace tua, o *Forfex* mi, – exhibeo.

Imprimis, verba ecclesiastica plane et naturaliter latina sunt fere omnia:

<i>Dia</i> ,	Deus	<i>Cill</i> ,	cella
<i>Eaglais</i> ,	ecclesia	<i>Falluinn</i> ,	pallium
<i>Altair</i> ,	altare	<i>Bachull</i> ,	baculus
<i>Crois</i> ,	crux	<i>Cleir</i> ,	clerus
<i>Creid</i> ,	credo	<i>Cathair</i> ,	cathedra
<i>Abstol</i> ,	apostolus	<i>Abhlan</i> ,	oblatum
<i>Sagairt</i> ,	sacerdos	<i>Aor</i> ,	oro

et, horribile dictu, eumdem *diabhol* (diabolum) habemus, qui præest iisdem partibus *ifrinn* (infernis).

(1) Cf. *Vox Urbis*, ann. V, num. VIII, pag. 57.

Alia afferre placet:

<i>Tir</i> ,	terra	<i>Athair</i> ,	pater
<i>Talamh</i> ,	tellus	<i>Mathair</i> ,	mater
<i>Muir</i> ,	mare	<i>Brathair</i> ,	frater
<i>Maduinn</i> ,	matutinus	<i>Gradh</i> ,	gratia
<i>Beo</i> ,	vivus (βίος)	<i>Nuadh</i> ,	novus
<i>Cu</i> ,	canis (χóρων)	<i>Gin</i> ,	gigno
<i>Caraid</i> ,	carus	<i>Doilich</i> ,	doleo
<i>Ceart</i> ,	certus	<i>Tarbh</i> ,	taurus
<i>Can</i> ,	cano	<i>Glas</i> ,	glauens
<i>Greigh</i> ,	grex	<i>Tana</i> ,	tennis
<i>Scriobh</i> ,	seribo	<i>Cruaidh</i> ,	erodus
<i>Commun</i> ,	communis	<i>Caile</i> ,	calx

et alia sexenta, sed ne lexicon seribam, unum aliud addam:

failte = valete.

Scribebam apud Edderton in Scotia Idib. Mart. an. MCMIII.

DONALDUS MACRAE.

DE ALINDA BRUNACCI BRUNAMONTI ITALORUM POETRIA.

CAELI desideria, quae suavissime saepe hymni anhelitu et rythmo expresserat, mors tandem Alindae Brunacci Brunamonti plena esse dedit; filiolam carissimam, angelis factam consortem, quam elegiaco carmine dulcissime fleverat, iterum amplexari concessit. Mulieris autem memoriam celebrare, nostro commentario indignum quis dixerit, cum et virtute et fide poetria illa ostenderit quantam carminibus vim addat Christi religio, et assiduo studio scriptorum latinarum iterum probaverit, quanta ars dicendi in poetico certamine ex iis possit hauriri?

Quae si perspecta Italì iamdiu omni illustri exemplo fuere, ea quoque peregrinis retinenda arbitramur, si verum est, quod nemo dubitat, primam omnis puleritudinis speciem portendisse Graecos, eamque inde iis proximos latinos scriptores derivasse. Atqui Alinda ipsa fatetur se puellam etiam tum una cum patre, viro antiquitatis studiosissimo, versare diurna et nocturna manu maiorum volumina consuevisse; ne vero ex una familiaritate mortuorum in eius animo hodiernae vitae areseretur ubertas, vagari simul frequens per aperta camporum instituisse; intuentem denique assidue quae Deus pulcherrima genit per orbem universum, enasci in animo atque augeri sibi sensim amorem expertam esse in creata omnia, atque in proximos, indeque ali caelestes cogitationes, et dilectionem Summi Conditoris confoveri, et laudes eius sponte erumpere ex labiis.

Ceterum Umbrorum montium ipse adspectus, quos inter poetria enata est, Perusiae, et seraphicae memoriae sparsae ubique per valles et iuga patriæ sensus eosdem angebant. Inde vetustissima Italica templa, et primaeva Religionis monumenta, quae Umbri exegere coloribus vel marmore, perspectae iam funditus paganorum puleritudini novae artis documenta addebant, ostendentia quoniam pacto veterum prodigiis novum afflatum conserere oportet.

Mulier inde evasit omnino admirabilis, matronali omni virtute praedita domi, Musarum vero alumna gravis pariterque suavis, et quodammodo sacerdotali more induita. Adolescen-

tula, carmina quae civilia dixit singens, aliquantulum fertur fervore aetatis et iuventutis: mox nova subdens, opus virilis virtutis plenum edidit, ingenii ausu altissimo, quo lyrics vi inter maximos nostræ aetatis vates iure summo adsciri promeruit.

Domesticas eius virtutes laudans Andreas Maffei, cuius magisterio et consiliis diu est usa, assernit poetarum lauro rosas omnes lectissimas optime Alindam conseruisse, nactam plane puleritudinem novam opere simul et voce. Hanc laudem profecto creuisse paullatim et consuetudine doloris et familiaribus curis apparuit; prout satis revelarunt carmina illa novissima, quae ex ipsa naturae universae facie intimius perspecta scatuere; naturae enim mysteria haec sua voce illam docuerant: et astra nigricantia, et maris phosphorica lux, vel nova disciplinarum inventa et civiles ausus novi. His adamussim incensa prodigiis, pulchriorem ob haec mysteria esse naturam iure potuit affirmare, ac naturae doctrina adiuvante nova atque non perspecta ceteris poeos arcana detegere. Hinc Alindae transitus ad humana ipsa mysteria, sensus, motus animi canendos, ita plane ut quasi abditum documentum perficiendae virtutis saluberrimum carmina omnia aut abdant clam, aut palam proferant. Non vana itaque poeoses vis, non iactantiae causa tantum, vel delectationis, vel otii ducendi mota; sed ut bonum opus operaretur carminum quoque numeris, ut legentium profectui ea prospiceret digesti hymni, poemata condita.

Sunt et quaedam ex memoria rerum vetustissimarum dictata pulcherrima, ut quae ab He-trusca amphora, vel a cyatho inseribuntur; at pleraque, ut diximus, natura ipsa afflavit. Inde ad *Musam*, ad *Puleritudinem* hymni aliae agitantur, inde *Avium Carmen* conflatur, et *Octobris matutinae laudes*; mox centum breviora carmina, eaque pari mensura digesta atque *Florae* inscripta. Similia haec plerumque alia aliis, at varia simul, nec unum quidem quod aptum consilium vitae vivendae non tradat, ipsis ex floribus plane desumptum; opus expletum undique atque altissimum, naturae voces reddens omnes solemnes simul et dulces, creationis lucem et mysteria celebrans concordia suavi, aeterna, rerumque vitam cum hominum vita comparans, sapientia ex mundo eruta undique. Arguti saepe versus, saepe etiam iocosi, at concimi quam maxime, at sobrii semper, at vergiliana suavitate et nitore mirabiles, caelestes risus reddentes, qui ex omnibus adspectibus poetriae contemplanti emicabant.

Scripta soluta oratione edita pariter multa fuere eaque simili polita stilo. Ex latinis vero scriptoribus, quos tamdiu dilexit, multa in vulgus transtulit fidelissima interpres. Non itaque immerito eam Iacobo Leopardio quasi minorem natu sororem laudavit alter inter poetas nostros lectissimus, Iulius Salvadori; quod fieri proculdubio non potuisse, nisi – idque iterum adnotamus – maiorum scripta diu versavisset. Redeat igitur laus nostra praecipua, unde erat profecta, redeat quo salutantes memoriam poetriae lectissimae, derivatam ex latinorum vetusta puleritudine artem eius auctamque novis portentis memoravimus, ac non facile perituram firme tenemus.

I. ANTONELLI.

BENEDICTINUM MONTIS-CASSINI COENOBII.⁽¹⁾

IMMENSA monasterii Cassinensis moles quodammodo videntium et considerantium opprimit animos; quisque enim coram ea exiguum se noscit et sentit; bibliothecae Cassinensis innumerabiles divitiae meditantes animas et stupore percellunt, et retrahunt in antiqua tempora, quae tanta nasci, quae augeri, quae congregari viderunt, exercentque memorem spiritum circa ea quae plurima absumpsit ignis, diripuerunt barbari, pestilentioresque iis rapaces modo surripuerunt, modo abstulere manus, praeter illam licentiam militum hic debacchantem, quae si rudis, pretiosa discerpsit, si docta, arbitrabatur iure suo optimo pretiosa praedari. Nihilominus ultra viginti librorum millia continet, exque iis quamplurimos quibus ab « incunabulis » nomen, eo quod primo saeculo, ab arte typographica inventa, paelo impressi vulgariter sunt.

Neque ab ista disiicias celeberrimum illud Cassinense archivum in tres distributum aulas, ubique pictis fulgentes tabulis, ubique accientes ad se invisentium oculos non ut singula videat, – annorum opus et labor! –, sed ut libet, et admiretur omnia simul. At quomodo rapido per transibis pede coram illud Constantini Africani medici manu scriptum volumen, Constantini, inquam, illius, a quo Salernitana medicinae schola constituta est, cuius axiomata et leges non minoris quam quilibet Hippocratis liber aestimantur, cuius fama praeterita omnia saecula impletivit, nostrum et occupat? Et quid ille tibi erit Dantis Aligherii codex, anno MCCCLXVII scriptus, poema nempe triplex, cuius codicis in fine compendium est universi poematis, et notae commentaque modo in calce paginarum, modo in margine sunt, quae omnia Petri Aligherii, Dantis filii, dextra exarata traduntur? Quid denique Vergilianum illud prodigium, *Aeneis*, Modestini iurisconsulti manu, qui discipulus Ulpiani fuerat, notis, argumentis, dilucidationibusque locupletatum?... Sed abire maturime praestat, ne sirenarum affecti cantibus naufragium diei patiamur: per haec Circæia cantamina praestat surda aure transire.

Exspectat nos et advocat admirabile templum, in quo

Vestibulum ante ipsum, primoque in limine organa sunt conspicua. Caterinozzi Caesar quidam, Italicus, ea molitus est arte mira, quam ad nostra usque tempora nemo aequavit. Voces, murmura, sonitum quemque ita pulcherrima machina imitatur ut non facile tibi suadeas organo, sed musicæ turbæ assonanti videaris tibi interesse. Ornamenta vero, quibus prospectus et frons musici aedificii decoratur, scalpro, auro, caelata, distincta, radiantia et emicantia longe proportione admirabili, facultatem describentis omnino prævertunt.

(1) Cfr. num. sup.

Tribus constat alis templum ingens ab abside ad fores, ducentis quadraginta et quatuor palmis in agrum patens, septuaginta duobus in frontem; sex et sexaginta a solo ad auras eminet. Solidissimis fornices imponuntur parastratis pilis, et aereos curvantur in arcus. Orientalibus marmoribus, numidicis, africis, porphyreticis columnis hinc inde altaria fulgent, pretiosi lapides circum, ubique per parietes multicolori varietate dispositi recreant simu! oculos et delectant. Quod autem altare princeps et maxima instar aerae coram in medio est, hoc Michael Angelus Bonarrotius animo concepit, designatisque lineis chartae tradidit; lapidibus pretiosissimis Monachi confecerunt a phrygio ad beryllum et onycem, et lapislazulum et corniolam et smaragdum; et nihilominus materiem saepe vincit opus. Marmoreis transemnis cingitur, aeneis circum stantibus desuper geniis insignia sustinentibus abbatialis dignitatis, mi-

floribus, frondibus. Quocumque convertaris, miracula humanæ sedulitatis et ingenii ubique intueberis.

Post aram maximam tres ac decem argenteae lampades aeternis facibus vigilant prope cancellum, a quo via in cryptam, ubi S. Patriarchæ Benedicti et Scholasticae, sororis eius, corpora dormiunt in pace. At aliquid pietas monachorum, et fortasse etiam vota gentium postulabant, quod etsi numquam dignitatem tantorum hominum aequaret, attamen illud præstaret saltem, quod ostenderet hominum in eos pietatem summam. Hinc suas opes, nervos omnes una labor et divitiae collegerunt, ut, quod maximum factu posset fieri, excitarent, absolverent. Itaque monachus P. Desiderius, patria Germanus, abbatis sui Krug vota sequutus, ea molitus est, Benedictinis artificibus utens e schola Benroner, quae vix possilia putabantur. Qui quidem, adfulgurante fortasse caelitus Numine,

Vitruvianum illum canonem, quo Vitruvio teste Graeci prisci utebantur cum aliquid fingerent, fausto repperit alite, iamdiu deperditum, nunc ferme ignoratum; et duce hoc aggressus est opus, in quod conceptum monumenti ab Aegyptiis, linearum candorem a Graecis, religionis inspirationem et suavitatem a Giotto et Angelico Faesulano mirabiliter conveniunt, ut exspectationem vincent, et sublime quoddam quaqua ex parte perficiant. His igitur elementis fodi, et aptari, et ornari eaepa est illa crypta mirabilis tribus iam ab inde annis, eaque duos vix post annos complebitur.

Quanta vero futura sit operis gratia, quanta maiestas, mente concipere profecto poteris, si cogitaveris in crypta illa emicantem ubique auri splendorem, musivum opus mirabilibus con-



Benedictinum templum Cassinense.

tram, pastoralem baculum, stolam et quae proxima huiusmodi. Quot sunt circa sacella et in sacellis altaria, tot sunt artis marmorariae, pictoriae, sculptoriae, tot sunt architecturae, divitiarum prodigia, seu columnas inspicis, seu quidquid aliud alibi divisum quaeris, hic mirabilis magisterio congregatum.

« Pastophorium », seu ciborium Berninius ingenio suo multiformi effinxit ex cupro aere exterius deaurato, quod opus inter maxima huius potentissimi artificis opera enumeratur, neque margaritis gemmisque minus distinguitur. Pictores vero praestantissimi ubique incubuerunt in decorando parietes; nomina tantummodo ponam; singulas enim imagines et ornatus vix liber, non pagina contineret. Hic Lucas Iordanus, hic de Matteis, hic Mazzaroppius, hic de Mura, Salimenius, Conca, Corentius, Vanni, Carolus Lotharingius, Marcus Senensis, Andreas e Sabino Urbinatis discipulus: quasi ad Olympia quaedam hi venerunt aemulatione sancta certantes de principatu. Hic funebria monumenta marmorea Guidi Fieramosca, et Petri de Medici, Sangallo designante. Hic sedilia chori mirabiliter insculpta figuris,

contextum coloribus, figuras hieraticas suavitatem singularem spirantes hisce interpositas pictura excellenti, discurrentes quaquaversus angelos, pausantes inter caelitum choros choreasque beatissimos viros, Benedictini Ordinis decus, qui nunc in gloria sempiterna sunt, et arcanum gaudium et caelestem pacem vultibus præfrentes. Da hisce omnibus ineffabilem loci maiestatem, silentium arcano quodam ubique diffusum, recordationem rerum, quae tercentos circiter et mille abhinc annos hic exstiterunt, quae sequuta sunt quodam agmine, quadam serie, quasi venientia saecula gestirent occupare locum prætereunt. Quot barbaros vidit regio a Gothis ad Longobardos, a Longobardis ad Saracenos, a Saracenis ad exteror! Et hi quidem velut umbra pertransierunt non reddituri amplius, oceubuerunt non amplius resurrecti; extinctae sunt flammae, quibus arsere tempa, coenobia; monachorum sanguis, quem effundunt, novos genuit monachos... Ista redeunt, ista mentem occupant dum contemplaris coram et circa Benedictinos artifices intentos operi, quod ventura saecula mirabuntur magna cum laude facientium, quibus insonat adhuc sancti

sui Patriarchae praeceptum, in quo omnis continetur vita, omnis pax humanae societatis et est, et erit: « Ora, et labora! ». Duobus his crevit verbis Benedictina institutio, duobus hisce aucta, aeterna perdurat.

G. P.

QUAESITIS RESPONSIO.

Quaestio naturalis.

Viro cl. Iosepho Wabner Polono P. Alexis salutem ab Urbe plurimam dicit.

Animadversionem tuam circa serpentes et venena serpentium legi (1), et gratias tibi vel maximas ago de iis, quae mones. Velim tamen ut mea scripta suscipias quasi marte meo data dum de visis testimonium perhibeo; dum vero de auditis res est, nolo meum esse putes quod meum non est; relata enim refero; et relatis ea fides esto, quam ille meretur qui primus protulerit. Hinc ego, cui non veridicus ille serpentarius (hoc nomen liceat impingere) videbatur, quia fulvam viperam (quam apud nos « Caeciliam » vulgus nuncupat, eo quod caeca sit), in montibus Interamnatum repertam, resonanti vocabulo « Australianam viperam » appellabat, sermones eius, non meos induxi, et deliciosissimum illi bestiarum arbitrium, historias, privilegia, decora, et siquid amplius penitus reliqui.

Miraris me non castigasse verbis verbosum hominem, non corripuisse, non emendasse. Qua, sodes, utilitate fecisset, si corripuisse ad aures? Ille, cui lucrum a spectaculo illiusmodi, nec mihi, nec tibi docilem accommodavisset animum. Numquid coram omnibus arguendus mihi esset? Nemo mihi, omnes illi credidissent spectacula edenti. Quoniam igitur « vult decipi vulgus », ne, quaeo, distorta canum crura tentamus in rectum reducere; fluentem amnem manibus retinere conabimur, et Aethiopem lavantes oleum operamque perdemus. Trahat sua quemque voluptas! Tu optime facies, siquid scribendum tibi de naturali historia proposueris et miseris. Patent paginae nostrae volentibus. Quod ad me est, crotalis, viperis, et huiusmodi iucundissimis catellis, etsi veneno privatis, etsi edentulis, ne caligam quidem admordendam praebebo. Serpentarius ille noster suo genio indulget, decantet ad libitum, spectacula ter in die edat, locuples fiat. Numquid ego me negotiis eius interponam? Numquid ego serpentibus? Tu cura ut valeas, et ab eo quam longissime sis. Vale.

EX BATAVIA.

De certamine poetico Hoeufftiano.

Accepimus, ac libenter edimus:

In consessu ordinis litterarii Academiae Regiae Neerlandicae die IX m. Martii relatum est de carminibus, quae a competitoribus XXV Amstelodamum missa sunt, ut de premio an. MDCCCCII certarent. Victor renuntiatus est

PETRUS HELBERTUS DAMSTÉ Ultrajectinus, carmine quod inscribitur *Feriae Aestivae*.

Praeterea quinque carmina legati Hoeufftiani sumptibus edentur hoc ordine: *Capreae, Cilix, De excidio urbis Sancti Petri, Iurenilia, Per fugium nostrum*, si poetae veniam dederint schedulas aperiendi.

H. T. KARSTEN,
Acad. Reg. h. t. ab actis.
Amstelodami, Id. Mart. MDCCCCIII.

(1) Cfr. an. VI, num. VI.

DE "DISCIPLINA ARCANI," ANIMADVERSIONES CRITICAE. (1)

V.

Ex iis omnibus, quae hue usque diximus, colligi potest, utrum haec consuetudo veterum in doctrina christiana tractanda nostris temporibus in usum sit revocanda nec ne. Alienissimum hoc videtur ab aetate, in quam incidimus. Homines enim nunc non obseuris verbis sibi imponi patiuntur, sed rationes desiderant. Disciplinae quae in philosophia ac theologia versantur, obscuritati et examinis fugae inimicæ, florent. Rident nostri doctores, quando in causis religionem spectantibus ad sacrum silentium, quinimo ad auctoritatem tantum provocatur. Religio vero christiana numquam tam egregie fuit demonstrata, tam fortiter defensa, quam hisce temporibus. Non extimescit illa incredulorum

tionis principiis non esse contraria; nihil ab ipsis (« deistis » et « rationalistis ») maximis que ingenii pro vero haberi, quod variis difficultatibus obnoxium non sit; ostendes inductione, quam difficile sit, posita etiam per philosophiae principia propositione aliquius veri, modum atque naturam rerum definire; docebis denique nihil ab religionis christiana Auctore credendum imponi, quod viro sapiente et ingenuo indignum sit. Quod si hac ratione nihil profeceris, parum te iuvabit arcani disciplina.

Quod vero attinet pueros et rudes, quos quasi catechumenos appellare possimus, nemo dubitat, quin prudenti institutione opus sit. Perspecta vero ingenii capacitate sensim et per gradus in adyta religionis sunt inducendi, atque adsuefaciendi, ut quid credant scient, rationesque tantum quantum dare possint exhibeant, cur his vel illis capitibus assensum firmitatem; utilitatem item Religionis et videant et sentiant. Haec ratio cum catechumenis agendi magis accommodata ingenio ipsorum videtur, quam veterum doctorum, ad silentium et vnum obscuritatem confugientium.

Fatemur in simplicitate animi nostri, difficilis esse quam putavimus, gravissima religionis capita perspicue disserere, populi ingenio sese attemperare, ad animum quoque et conscientiam dignitatem atque pretium religionis revocare. De re omnium sanctissima et gravissima agitur: edocendi sunt et pueri et adultiores disciplinae sacrae principia, explicanda sanctissima Dei voluntas, reducendi in viam errantes et praceptorum transgressores. Ad hoc quanta sapientia ac prudentia opus sit ipsimet facile intelligimus.

Singularem igitur imprimis eum adhibeamus, qui munieribus publicis sive in urbe, sive in agris praefecti sumus, ut verae pietatis semina tenellis puerorum animis clare et perspicue instillemus; efficiamus quantum in nobis est, ut sentiant, quam vim habeat vera pietas in universum vitae nostrae statum. Ante omnia, caveamus ut, non tantum boni viri esse videamur, sed etiam simus. In orationibus et institutionibus nostris nihil magis curae sit, quam ut aperte, plane atque ad omnium captum verba faciamus. Claris nolumus tenebras offundere; quae ipsimet non satis intelligimus, aliis ne commendemus...


Quod si haec aliaque prudentiae uniuscuiusque relinquenda praestabimus, confidamus, ad proferendam et defendendam veritatem aptiores futuros nos esse, quam eos, qui olim optimo licet sibi proposito fine « disciplinam arcani » inter Christianos induxerunt.

Scrib. Rypini.

STANISLAUS FIGIELSKI.

*Virtute ambire oportet non fautoribus.
Sed habet fautorem semper, qui recte facit.*

PLAUT. Amphit.



Benedictini templi Cassinensis crypta.

vel cachinnos vel ratiocinationes. Quo ergo iure inducere possumus sacrum illud silentium vel obscuritatem in declarandis nostrae religionis mysteriis? Numquid sperari potest, hoc modo multos ab erroribus revocatum iri? Haec igitur « arcani disciplina » nec cum hominibus luce revelationis destitutis, nec cum « deistis » et revelationis hostibus « rationalistis », nec denique cum catechumenis inter christianos natis i. e. iuvenibus et rudibus adhibenda est.

Praetermittimus omnes luce revelationis destitutos, quibus quomodo decreta religionis silentio praeteriri possunt, si singula scire, credere et expendere iuxta conditionem tenetur quisque christianus? Quod si cum hac « arcani disciplina » ad « rationalistas » te convertas, a turba illa risu excipieris. Illi enim omnes ingenii nervos intendunt, ut probent, nulla opus esse revelatione; religionem christianam repellunt hac de causa, quod ea sit mysteriis referta. Si centies clamites illis: arcana haec esse, frustra erit. Probare potius illis non obscure oportebit, haec mysteria non solum quantum satis est cognosci posse, sed etiam debere; evinces, ea rectae ra-

(1) Cfr. num. VI, an. VI.

DE PHOCARUM VENANDARUM RATIONE.

In sinu a Mezen appellato, qui in orientali Maris Albi situs est parte, quidam inest pagus octoginta circiter ligneis aedificiis confectus, cui nomen a Koida flumine non longe ab ipso defluente. Pagus iste, quamvis perexiguus, atque a civili hominum communitate pene dixerim segregatus, in causa est ut floreat ac magis magisque ibi augeatur in dies non levius momenti commercium, ut mox erit dicendum.

Neminem latet iis in regionibus ob frigus acre, ob nivem glaciemque agros squalore obsitos tabescere, nihilque fere ad vitam sustentandam miseris praebere incolis, qui diutina caeli inclemencia atque perenni soli malignitate ad ardua quaeque suscipienda adiunguntur, ut sibi victum ceteraque comparent necessaria. Quare plerique Koidae habitatores, qui cymbas atque opportuna venatui instrumenta proprio aere construendas curarunt, miserrimos ex vicinis pagis accersitos incolas aspero phocarum venandarum sociant facinori; neque difficultates ac pericula, quae ad finem assequendum sunt necessario subeunda, andaces deterrent.

Mense Decembri phocae acerrimo frigore atque brumalibus tempestatis exactae inhospitali ex Groenlandia, Mari Albo se recipiunt, sibi comparatura tum quo vescantur, tum locum in glacie ventis minus exagitatum, ubi tute fi-

lios postea edere possint. Animadvertisendum est Mare Album prope litora, ne asperrima quidem hieme, totam superficiem longe lateque gelu concretam exhibere, sed ita divisam, ut plures sint superficiolae glacie coactae quingentorum circiter passuum quadratorum magnitudine, quibus totidem adversantur canales seu freta non plus, quam centum metra producta. Itaque iis, qui arduum phocarum suscipiunt venatum, levissima cymba eademque lectica sive rheda (italice *slitta*) utendum est, pro itineris opportunitate vel per undas, vel per glaciem, nulla interposita mora, faciendi. Cymbae, sive rhedae, tenuissimo pini ligno constructae atque delphini pelle intus contextae, metrum ac viginti quinque centimetra sunt latae, quatror circiter metra longae et metalli omnino expertes, adeo ut levissimae validis praebeantur brachiis nautarum, qui eas extollere facile possint. Singulis in cymbis septeni insunt viri forti baculo instructi atque harpagone; ferrea insuper lamina, ubi in cymba vel in glacie incendatur ignis, aenea olla, qua cibus coquatur, linea pocula, ursinae pelles, quibus tamquam lectulo utendum sit a torali, rude denique tentorium, quo nix atque imber prohibetur, andacium venatorum constituent viaticum. Singulis autem vicenarum cymbarum comitatibus dux praeest, qui discessus statuit tempus, loca ineunda designat, ac lites, quae forte exoriantur inter nautas, sua auctoritate componit, vel dirimit omnino.

A Februario ineunte ad mensem Maium labentem habetur opportunum tempus venandis phocis, quibus frequentem quoniam superficiam congelatam invenerunt venatores, summa eam circumdant diligentia ac baculis postea amphibia aggrediuntur, quae, si fugam arripere audiunt, harpagone coercentur. At vero accedit interdum ut longius, quam earum mos ferat, phocae absint: itaque duo vel tres audacieores nautae, aerumnis periculisque spretis, ulterius in undas atque in glaciem progredi non desinunt, nisi quum exoptatos invenerint pisces, de quibus nuntium comitibus dare festinant. Hic autem atque illuc in glaciem, ne ex itinere deerrent, hastas infigere satagunt, quibus pellis est suspensa, quibusque, tamquam ruddus vexillis, ad redeundam ducentur viam.

Post redditum in pagum Koidam singuli singularum cymbarum comitatus unius phocae pretium, uti mos est, templo offerunt, cunctique postea venatores pro periculis, quibus evaserint, solemnes Deo solent agere gratias.

Phocarum pellem atque adipem non levi pretio empturi Arkangelo ex urbe Moscoviae ad septentriones spectantis in Koidam, ineunte aestate, plurimi, singulis annis, convenient mercatores; dolendum tamen est minimam luci partem cymbarum possessores sociis dare, maximam vero sibi iniuria tribuere.

HERSILUS.

29]

FABULAE SELECTAE FONTANII
A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE
PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS.

CXII. — SUS, CAPRA ET OVIS.

Emporium carro delecta capella petebat;
Pinguior huic aderat porcus ovisque comes.
Non animi causa, non ad spectacula mimi
Vectantur; venum cogitum ire trias.
Acri voce sua sus eiudat inter eundum,
Haud secus ac lanis traditus ipse decem.
Attonitae querunt sociae, cur stridulus auris
Exagit placidas, quamve reposcat opem.
Neutra videt, cum sit bona gens negue callida multum,
Haec quid portendat commoda rheda mali.
Ipse auriga suem compellans: — « Improbis, — clamat
Auris nostra dolet questibus icta tuis.
Binis a sociis urbano vivere discus
More; silent ipsae, teque silere docent.
Specia lanigeram, cui vox non excidit una;
Nempe sapit. » — « Contra desipit — ille refert. —
Nam si quo rapiatur, ovis praesaga videret,
Balandi finis non foret ullus ovi.
Nec minus obstreperet, sua si cornuta capella
Nosset fata, minax quea laniena parat.
At stolidae censent, lanae lactisve tribulum
Exposci solitum, praetereaque nihil.
Quae sit cumque tamen comitum sors, ipse peribo,
Qui spernor, nisi sim cocta vel assa caro.
Vae mihi, quem culter, quem mors manet atra! Valete
Glandes, o stabuli tecta valete mei! »
Setiger ille quidem fuit optimus augur; at illum
Quid iuvit, caudem praecinuisse suam?
Quae prece, quae curis nequeas avertire damna,
Horum, si sapias, praescius esse cave.

CXIII. — LEAENAE EXSEQUIAE.

Cesserat e vita coniux augusta leonis;
Extemplo pecudum condolet omne genus.

Quisque studet regi solantia dicere verba,
Blandior unde sonus, nil tamen exit opis.
Nuntiat hinc praeco, quo rex funebria iusta
Persolvenda velit tempore, quove loco.
Solemnam iussi pompa curare ministri,
In qua sistat eatque ordine quisque suo.
Dum fit pompa, leo moerens silvas, sua fana,
Implet rugitu latius horrisono.
Regis ad exemplum componitur aulica turba;
Exululat quantum vox sua quemque sinit.
Aula quid est? Regio, cuius didicere coloni
Affactus animi dissimulare sui.
Hi tales aut esse queunt, aut esse videntur,
Quales se princeps tempus in omne velit.
Protos instar, amat gens haec incidere vultu
Usque noro: domini simia puta sui.
Dixerat, hos propria viduari mente, velutque
Lignea membra, levi stamine mota, regi.
Ad pompam redeo. Flere unus omisit in aula
Cervus, reginae laetus ob interitum.
Ipsiux uxorem natosque leaena neclarat;
Auctorem crudae qui fleat ille necis?
Prodit adulator factum: — « Rex, hunc ego — dixit —
Ridentem vidi, fletibus ipse madens. »
— « Regis — ait scriptor celebris — formidine plena est
Ira, leoninus non secus atque furor. »
Noverat hoc cervus, quamquam rudis ipse legendi,
Utpote cui silvae, non patuere scholae.
Cui rex: — « Risisti? Moriere; sacer tamen unguis
Non te discerpere noster; adeste lupi.
Placate augustos scelerato sanguine manus;
Laesus reginae sic reparetur honos. »
Cervus ad haec: — « Sinar ipse loqui: ploratibus, o rex,
Indultum satis est, iam satis atque super.
Hic prope, mox est visa mihi, quam iure vocabas
Delicias animae dimidiumque tuae.
Purpureos inter recubabat splendida flores;
Protinus agnovi coniugis ora tuae.
Astra peto — dixit —; ne funera tu mea, fili,
Ne cineres pergas rorē rigare pio.
Elysii cultrix, umbris sociata beatis,
Posthac perpetuo gaudia fonte bibam.
Moereat ad tempus viduus rex; me iuvat ista,
Quam nec dira queat Mors abolere, fides. »

Vix haec audierat, cum « Prodigium! » sonat aula,
« Prodigium! Salve, diva recepta polo. »
Cervus pro poena, quam rex decreverat ante,
Magnificas laudes amplaque dona tulit.
Regi, quem mollire velis, dic mellea verba;
Narrā mendaci somnia blanda stilo.
Iucundos, licet iratus, rex aure vorabit
Hamos, hamati tu potiere bonis.

CXIV. — ASINUS ET CANIS.

Naturae lex est, ut fratrem frater egentem
Ac socium socius promptus amansque iuvet.
Cur semel hanc asinus legem violaverit aequam,
Miror; namque bono nascitur ingenio.
Ore gravis, nil mente agitans, comitante molosso,
Ibat, et a tergo rusticus ibat herus.
Huic sopor obrepit; mox pascere coepit asellus.
Herbam cui tenerat proxima prata dabant.
Carduus hinc aberat; sed acutis helluo noster
Temperat a spinis, molle ubi gramen adest.
Interea furit atra famae in ventre molossi,
Qui: — « Curva paulum terga, sodalis, — ait: —
Quam geris in calatho, liceat mihi tollere coenam. »
At surda pascens excipit aure preces.
Nam timet auritus, si verbum proferat ullum,
Ne quid iucundi graminis ore cadat.
Sic tandem rudit: — « Exspecta paulisper, amice;
Coenabis, cum mox evigilarit herus. »
Ecce tamen silvis lupus est erumpere visus,
Viscera cui rodit quatriduana famae.
— « Pelle, Phylax, hostem, » tum supplex orat asellus.
— « Consule tu potius — sic canis — ipse tibi.
Dum tuus evigilet dominus, te proripe cursu;
Quippe (quod aiebas) mox erit ille vigil.
Quod si forte minax instet fera, calce potenti
Ferrataque recens, appete, sterne feram. »
Dum canis egregio monet hoc sermone rudentem,
Ipse rudens rapidum cernit adesse lupum;
Cernit, et heu! iugulo capit immedicabile vulnus.
Inde alii alii ferre docemur opem.

(Ad proximum numerum).

LIBRORUM RECENSIO

Dr PIETRO RASI prof. ordinario di lettere latine nella R. Università di Pavia. — *Le Odi e gli Epopi di Q. Orazio Flacco.* Commento ad uso delle scuole — MDCCCCII. Edid. Remus Sandron, Regis Italiae diplomate ornatus — Mediolani, Panormi, Neapoli.

Destinatum viris fortibus cibum sic temperare, ut infirmioribus aptari stomachis horumque tenui calore concoqui possit, habet industriae similitudinem, qua excellentium hominum scripta in usum iuniorum explanantur. Sunt autem inter cetera alumnis lycei digerenda Q. Horatii Flacci carmina, sed praepeti cursu, ut multa. Egent igitur adolescentes interprete brevi densoque, cuius liber, nec abditae pompa eruditio, nec subtiliorum controversiarum copia, ipsos a legendo deterreat. Id sibi proposuisse v. cl. P. Rasi, et, quantum quidem in re difficillima licet, assentum fuisse gratulamur.

Is enim studiose curavit ut Flacci carminibus intellegendis facies patarent aures animique illorum, qui in medio cursu litterarum, id est in secundi ordinis scholis, versarentur. Eoque in munere utramque sibi laudem et brevitatis et perspicuitatis ipse comparavit; neque tamen omisit quidquam, quod sive ad historiam, sive ad fabulam, sive ad latini sermonis usum et artem numerorum pertineret essetque scitu aut necessarium aut opportunum, secutus interpretes venusini poetae a Porfirione ad V. Ussanium.

3]

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS.

DE RECTA PRONUNCIATIONE LATINA LINGUAE
DIALOGUS.

Nam Romanis etsi arma inferre finitimus acris cura fuit, non etiam mores, sacra, linguam; quin contra aliquamdiu arcuisse ista videntur, et communicari ea cum aliis recusasse; certe ut beneficium indulseret, et venia ad eam rem opus ac permissem. Livius clare suggerit (lib. XL): “Cumanis,, — (Osca, aut Graeca eorum lingua) — “eo anno pentibus permisum, ut publice, (id accipio de scriptis decretisque publicis) latine loquerentur, praeconibusque latine vendendi ius esset „. Hoc narrat sub annum Urbis DLXXXIII, ut videatur etiamtunc, post punica bella finibus valde auctis, haud valde auxisse lingua. At mox immensum et diu coercita, velut rupto obiice, se effudit. Occasione quidem et causa duplo: missu primum coloniarum; deinde communione civitatis. Nam de coloniis, cum Romani eas spargerent, firmando imperio, per omnes gentes, necessario una etiam linguam. Quia numerosi isti coloni et aequabant plerumque aut superabant civium veterum partem; itaque si commercia aut colloquia futura inter eos essent, alteros in alterorum linguam migrare paulatim necessum erat. Et quot potius, quam qui victi? Ingenium et natura ipsa ita fert ut flectant se, omnia ad mores cultumque victoris. Et imprimis sermo; cuius lenis et lenta mutatio gravis nemini, curiosis nonnullis suavis. Discendi enim speciem habet, et sciendi. Haec ratio incredibile quam cito, quam late diffuderit Romanum hunc sermonem, et frugifera semina eius iecerit per orbem terrae. Non aliter quam Graecos olim, hac ipsa via, propagasse observo suum. Coloniis enim interspersis, Asiam illam totam minorēm implerunt scientiae et linguae; inde Rhodum, Cyprum insulasque finitimas; sed et loca mox sita longius, Siciliam, Italiam (ora enim illa maris quae magna Graecia dicta est, habuit et linguam), quin etiam Massiliensem opera Galliam ipsam, et Hispaniam per Emporienses. Denique in Syria et Orientis

Quia vero aliud est carminis verba singula expendere, aliud legentium iudicium acuere, quo artis opus degustare possint, haud semper expedit externa quaedam incuriose negligere. Saepius enim ex rebus minimis constat totius carminis facies, per easque scriptoris antiqui excitatur anima et vita quodammodo. Est autem in primis vestiganda carminis opportunitas, aut coniencia prudenter, quo studio remoto, facile potest vel ipse Flaceus declamator videri. Quāmobrem, ubi in alterutro peccandum sit, ex copia vitium quam ex inopia praetulerim, dummodo, vel ex audaci conjectura, pulchritudo carminis et robur exsurgat. — Tuttus incedit ac sobrius P. Rasius Scylam inter et Charybdim, suum cuiusque carminis argumentum attingens paucissimis, ratus, quod ipse affirmit, debere scholae librum discentes adiuvare, non supplantare docentes.

Illud etiam optimo cuique valde probabitur, quod cl. doctor, propter maximam quae debetur puerō reverentiam, liberiora Flacci carmina, non intercederit misere ac periculose, sed omnino sustulerit. Quod vero passim praemoneatur, hunc locum Epicureum olere, illum Antisthenem, id aut otiose dictum, aut temere videri poterit iis, qui excelsum animum Flacci noverint habeantque persuasum, non esse ipsum vulgarem ac destinatum vitii virtutis praeconem, sed poetam omnium temporum, quem idcirco nec impium dixeris, quoties de floribus ac de vino, nec Socratem, quoties de virtute loquatur. Equis in carmine: *Eheu fugaces invenias non vere dictum aut non honeste?*

magna parte, imo apud ipsos Parthos, autores mihi valuisse et increbuisse hunc sermonem. Iam causa altera, communio civitatis. Romani videlicet, paulatim munes magis et benigni, ius illud grande suea urbis non solum cum adsitis gentibus communicarunt, Etruscis, Umbris, Samnitibus aliisque Italorum, sed et cum dissitis. Nec pudori iis, non dicam Graecos et palliatos, sed barbaros et braccatos miscere suea togae. Res clara. At qui donati eo iure, quomodo uti, frui honeste eo poterant sine conscientia linguae? Quomodo cives Romani haberi et censeri, nisi ut Romane intellegent ac sonarent? Quin adeo nescisse id, non turpe solum, sed periculo iunctum, ut existent exempla, ob unam hanc noxam ademptae civitatis. Claudius certe Imperator “splendidum virum Graeciaeque provinciae principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo iudicium erasit, sed etiam in peregrinitatem rededit „(1). Iamque Romani honorem suum agi palam censebant in honorem suea linguae. Ita ne legatis quidem gentium exterarum permisum in curia, nisi per interpretem, loqui; hisque latine semper responsa data. Primus Molon rhetor in Senatu auditus est gentis suea lingua circa annum Urbis DCLXXII. Idque servatum “non in urbe tantum nostra „ — ait Valerius — “sed etiam in Graecia et in Asia. Quo scilicet latinae vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur „(2). Quin etiam nec praesides provinciarum aut praetores nisi latine ius dicebant, et quidquid publice gestum elatum ea lingua; adeo ut Tiberius Imperator, ut est apud Suetonium, “militem graecae testimonium interrogatum, nisi latine respondere vetuerit „. Bene igitur et vere Augustinus de hac Romanorum, ut ipse interpretatur, ambitione: “Data est opera — inquit — ut civitas imperiosa non solum iugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis „ — (corrigi velim “sociatis „, aut certe “speciem societatis „) — “imponeret „(3). At Plinius beneficentiam id accipit, et, meo animo in Italiae laudibus iure ponit, “quod tot populorum discordis ferasque linguas sermonis commercio contraxerit ad colloquia, et humanitatem homini dede-

Nam, quod nec ipsa pietas a morte valeat eximere, certe citra prodigium, hoc dubium est nemini. Quid autem honestius, quid communius, quam ex comminatione mortis efficere ut ab avaritia et a lucri cupidine animus revocetur? Quid magis experientia comprobatum hac sententia gravissima:

*Absumet haeres caecuba dignior
Servata centum claribus?*

Quae si quibusdam fuissent animadversa, non ii profecto iudicassent, carmen initio severum epicurea levitate concludi. Nec Tomasseus in carmen *Integer ritae leviter dixisset*, eius primam partem stoici esse, alteram rhetoris, epicurei tertiam, si cum I. Pascoli suspicatus esset, non ibi cani communem laudem virtutis Arcadum ritu, sed sanctam poetarum personam, quam dii peculiari cura tutentur.

Ceterum in votis est ut lycei ephebi P. Rasi librum nocturna diurnaque manu versent, quo vix alium sua aptiorem conditioni reperiant. Cui si operi addatur singulorum carminum index, et primi cuiusque versus enuntiatio, id non mediocri commodo cedet iis, qui horatianum aliquod carmen adire cupiant.

P. ANGELINI.

Prima virtus est ritio carere.

QUINTIL. lib. 8.

Bona mens non emitur nec commodetur.

SENEC. Epist. 8.

Impie sub dulci venena latent.

OVID. Eleg. lib. 2.

rit „(1). Praeclarum enim revera donum et exitu utile, quacumque tandem id fini a Romanis. Separatio illa linguarum gentem a gente separat, et, ut vetus quispiam scripsit, efficit loquendi varietas, ut externus alieno non sit hominis vice. Ita sparsa igitur, bono generis humani, haec lingua, tam longe, late, ut Plutarchus scripserit omnes fere homines suo aeo ea usos... Sed sparsa tamen versus occidentem septentrionesque maxime, quia Graeci et orientales populi haec aequae faciles cedere et fasces submittere sermoni, quem prae suo putabant parum cultum. At Afri, Galli, Hispani, Pannoni, Britanni avide arriperunt, et inducto novo, paullatim abolitum iverunt veterem sermonem. De Afris Apuleius in Floridis index; et Augustinus, Cyprianus nostrique illi procedentes, qui plebem in sacris conventibus allocuti sunt latine. Conaciones nonne exstant? De Gallis, et quidem iam inde ab Augusti aeo, Strabo, quos negat dicendos ultra barbaros, mutatos iam in romanum morem et lingua et vita, quosdam et civili gubernatione. Idemque de Hispanis: “Qui ad Baetim colunt, plene planeque conversi iam in romanos ritus, adeo ut nec sermonis sui patrii meminerint“. Et Velleius de Pannoniis: “In omnibus Pannoniis non disciplinae tantum, sed linguae quoque notitia romanae“. Nec ambiguam etiam de Britannis e Tacito, qui de Agricola eorum praeside: “Iam vero „ — scribit — “Principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britanorum studiis Gallorum anteferre; ut qui modo lingua romanam abnuebant, eloquentiam concupiseant“. Itaque ex fide, Juvenalis:

Gallia caussidicos docuit facunda Britannos.

Qui idem, etsi per satyricum risum, ostendit de Thule. Atque haec, Lipsi, diffusio romanæ linguae; de qua ego satis fuse, ut caussas hinc peterem confusae pronuntiationis. Haec enim prima verae occasio, quod sparsa lingua per gentes tam varias, variavit ipsa, nec patrium illum colorem diu tenuit, aut succum.

(Ad proximum numerum).

L. LIPSIUS.

(1) PLIN. lib. III, c. V.

(1) SUETONIUS, *Claud.*, c. XVI.
(2) VALERIUS, lib. II, c. II.
(3) *De Civitate Dei*, c. VII.

ANNALES.

Regalia itinera — Macedonum seditio — Africana bella — Americanae civiles discordiae.

Qui recentissimi agitant populos publici eventus laetitiam alii proferunt et pacem, alii omnes belli minas inferunt. Itinera regalia ad concordiam gentium firmandam innovantur. Guilelmus Caesar ad Danos proficiscitur, audax quidem consilium et sapienti mente susceptum; Danos enim a Germanis diviserat iamdiu belli fortuna et vices a medio usque saeculo separaverant. At Dani modo, etsi ditissima sua provincia vi armorum orbati, tamen humanitate praestare victoribus conati sunt, et Caesarem advenientem publico plausu et concordia mira excepere. Addebat animum visitanti Caesari dies Danis auspiciatissimi, quippe anniversaria solemnitate Christianum nomine regem suum quinquagesimo iam ab anno thronum consecutum celebrarent. Adesse itaque feriis Germanus imperator sategit ut, arrepta occasione faustissima, animum proximi populi in Germanos hostiles magis magisque sibi conciliaret. Quod revera obtinuit felicissime, ut satis apparuit ex ratione qua hospes est acceptus et consalutatus, ex regis singulari humanitate, Danorum in urbe capite, ex votis quae, in regali convivio, rex alter alteri libans protulit.

Huic proximum Anglorum regis iter ad Lusitanos veteri amicitia a saeculo et amplius eum Anglis coniunctos; cuius quidem concordis animi vincula foedus recens firmavit quam optime. Ea de causa potissimum suscepta ab Eduardo rege via ad Tagum flumen, quod ingressus est inter maximas populi ovationes. Visitatio ad Cintra, regium castrum, peracta est, atque ad Torres Pedras montes, quorum in munitionibus oppidis Lusitanorum Anglorumque arma Gallis invadentibus tamdiu obstitere. Mox nunciant regem, postquam a Lusitano litora discesserit, ad Italiae oras appulsurum, quinimo Massiliae quoque in portu Loubetio Gallorum praesidi occursum in Africam iter suscipienti, quod profecto pacis novum pignus maiores numquam sibi ne cogitare quidem ausi essent.

Interea vero magis magisque in dies presumari audimus Macedonum res: hinc Chresticolae in Turcas insurgunt, qui sponsoni sua de augenda libertate obliviousi prorsus vindentur; inde Albaniae incolae pariter in Byzantium regem arma capiunt, quippe qui peregrinorum petitionibus et consiliis nimium faveat. Christianis Bulgari proximi auxilia pecuniae, hominum, armorumque parant. Quae dum incerta mente magistratus contemplantur Alba-

nenses ecce Mitrowitzam urbem subito conatu invadere nituntur; vix ballistis et tormentis bellicis expulsi, in proelio ipso Russorum legatum glande feriunt; alio inde petunt magnamque christianorum cladem patrant. Ad Ochrida urbem inde ex oppidis omnibus Christiani ruunt ad arma, atque pontem prope Bulgariae fines, ignito pulvere incenso, diruunt. Quae inter innovata semper discrimina, atque luctas sine mora iteratas, quid sibi tandem caveat rex ille Byzantii?

★

Similia Mauritanis contingere planum est. Buhamara seditionis princeps redintegratis copiis bellum instauravit, suamque in dditionem novas quotidie tribus accepit, iterque Fez contra urbem resumptum quasi triumphi viam suis coram equitibus stratum vidit. Fez incolae ex-pavescunt appropinquantes barbaros, nec est satis militum qui opponantur. Ceterum eventus imperii aperte noscere haud licet, quippe telegraphicæ funes Fez urbem inter et mare, et Tetuan, Iberorum oppidum, abscessi iaceant. Qua de re propheta non est, qui neque scire valeat, neque praenuntiare quoniam sit tanta seditio evasura.

Non ita plane, de alia Africae regione, Somalia terra, dicendum est, ubi Angli suas copias in falsum prophetam fausto cursu obducunt.

★

Recensionem concludunt, ut mos invaluit, Americana bella civilia, quorum alterum alteri succedit intermissione nulla. Dum enim agitantur adhuc pacis negotia de Venezuelana re, in Sancti Dominici regione novissima exarsit seditio; Vasquez praeses expellitur ab urbe capite, perduelles victoriam conclamant: mox Vasquez ipse redintegrat proelium, et expulsores suos ipsa in urbe obsidione cingit: neque ab hac consuetudine convaluisse etiam nunc latinos fratres illos diuturna experientia videmus, neque recessuros — heu! — brevi confidimus.

POPLICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia rogatio proposita ab Ibernorum administratore re agraria, qua Ibernicis colonis maxima copia pecuniae publicae statutur commodanda, cuius ope agros suos pro posse a dominorum possessione redimant, et suos faciant.

In Hispania, novo belli administro San Pedros electo, comitia indicta.

In Hungaria Colomanus Szellius de Balkanica re interroganti legato cuidam populi respondit, mentem sibi esse ut pax quovis pacto servetur, utque Tur-

carum fines non minuantur, ne alia gens in aliam suam auctoritatem nimis effera.

In Italia de iudiciorum ordine innovando longa habita est disceptatio atque fuse ad rem ipse administratorum praeses disseveruit. Nunc feriae habentur.

In Serbia qui negotia cum peregrinis Lozanis gererat suo munere abdicavit.

In Venezuelan republica Senatores copiam administris fecere de re alieno contrahendo ut exterrum gentium iuribus satisficeret. Populi legati ratum pacis foedus habuerent.

SCRIBA.

AENIGMATA

I.

Sub mea iura voco, quidquid mortale creature,
Reddere nec soleo, quod semel arripi.
Littera prima capit sedem, quam tertia liquit,
Occupat et vocis tertia principium?
Horrida res oritur, metuendo grata Gradivo,
Quae me saepe gradus accelerare iubet.

II.

Par anni bis sexta vocor. Mihi littera prima
Demitur? Infligit vulnera mucro meus.
Prima redit, sed abit paenultima littera, abitque
Ultima? Pars melior tum putor esse tui.

FR. PALATA.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

MINUCII FELICIS
OCTAVIUS.

Aenigmata an. VI, n. IV proposita his respondent:

1) Num-en; 2) Viator, Vietor.

Ea rite soluta miserunt:

Adalb. Skrypkowski, *Swinice*. — St. Lawinski, *Niemistow*. — Ios. Wilhelm, *Battle*. — Ios. Wabner, *Varsavia Polon*. — Rich. Malotta, *Brzozów*. — Ad. Huza, *Grybovia*. — Ant. Lassota, *Sutrio*. — D. Le Provost, *Briocen*. — Princ. Gordon, *Mancunio*. — Iul. Sernatinger, *Dresda*. — Car. Stegmüller, *Sabaria*. — I. I. Dunne, *Dublino*. — Am. Robert, *Marteville in Canada*. — P. I. Wawer, *Vaals*. — I. B. Pesenti, *Roma*. — Seminarium Pontificium Kandiense. — Ios. Walter, *Neoboraco*. — Vinc. Starace, *Neapoli*. — Petrus Tergestinus. — F. Arnori, *Mediotano*. — I. Ranke, *Berolino*. — E. Burg, *Argentorato*. — Guil. Müller, *Monachio*.

Sortitus est praemium

I. I. DUNNE,
ad quem missum est VINCENTII LANFRANCHI, opus
cui titulus:

DE AENEIDE CUM FRUCTU LEGENDA
ACROASIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Pacti* Phil. Cuggiani.

LE LAUDI LATINE
IL CANTICO DEL SOLE
DI
S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello, praeter venustam praeftatiunculam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, conscriptam, continentur laudes latine cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, et illa Speculi perfectionis capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum hunc Iulius Salvadori, litteris tradendis in Romano Athenaeo doctor egregius, maxima edidit cura, ac Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administratorem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

IUVENIS QUIDAM ITALUS

MEDICINAE DOCTOR

artem suam profiteri cupit apud exterias gentes. Si quis itaque officium aliquid ei offerendum habeat certiorem de re faciat

Commentarii *Vox Urbis* administratorem,
qui negotium aget.

VARIA

Bibaces plantae.

Equis vestrum, lectores, non exclamabit, titulo paelecto: « Vasane Samum? » Iure; nec ipse aliter exclamarem, si appositum in me titulum conclamassetis, quasi nova et prodigiosa ferentes: « Homo manducans ». At si explicaretis hominem huiusmodi non ore, non dentibus, non gutture, sed pedibus, sed extremis digitis manducare, perque tibias cruraque inde cibum in ventrem immittere?... Eadem hodierno titulo conditio est. Planta omnis a codro ad herbulam, quae nascitur in parietibus, bibendo vescitur, radicibus alimentum quaerit, humore alitur, qui si defuerit, elonguescit et perit. Bibaces igitur plantae omnes. At quae non radice sed vertice alatur? « Expectate vobis rem quam vultis.... improbam - (Ciceroni me cedo) -, vincam tamen expectationem omnium ». In America Australi, planta quaedam est, e familia orchidearum, quae, alta de causa, elitit, ut germinet, humum septam ... rivo lene sonantis aquae.

Nam quoties vel necessitas, vel cupiditas, vel amor bibendi fuerit, convolutam spira quadam fistulam e vertice in proximas lymphas producit, dimittit, infundit, more elephantinae proboscidis, immo quasi illud rubricans, quod inter oculos retractile pendet a capite indicorum pullorum, quos Itali « gallinaceos » vocamus, Galli « dindon » appellant. Haec autem producta cannula, fistula, calamus virens, viva aqua potita semel, nam intus vacua, humorem absorbet, et ad plantae caput iueunde bibens

adducit; neque retrahitur, nisi prius bibendi voluptas, vel necessitas expleta sit. Retractaque, contractaque, obvolutaque fistula remanet, donec planta.... iudicabit opportunum sibi rursus potare. Quid vobis videtur? Et quid si quis vestrum, si pisces, siquid quodcumque tetigerit proboscidunculam illam pacifice haurientem, absorbentem? Haud aliter ac mimoso pudica frondes, potatrix haec horrens, quasi contremiscens, maturat, festinat retrahere fistulam, convolare, in tuto reponere. Sinite igitur pii ut sua pace satietur. Plantam hanc Suverkopius inventa recens, dum credito ex munere, herbas omnis generis querit, ut Londini ingens herbarium conficiatur.

Quid si eiusmodi et in Italia herba sit? Credo me olim vidiisse apud Tiburtes inter Vicovarium et Castrumadumae cum in Anienem fluentes rivos lustrarem. Vidi certe; sed ea tunc aetate eram, cui nihil mirabile, praeter nugas.

Loci.

Quanti Deus apud Hebraeos.

Quidam emax ab Hebraeo antiquarum tabularum venditore pretium, quo sibi licet eximiam quandam tabulam, Christi effigiem ostendentem, comparare quaerebat. Tria libellarum millia petivit Israelita: - « Atqui, - dixit emax -, improbus tu homo es, qui tribus milibus libellarum vendere vis in effigie, quem maiores tui triginta tantum denariis emerunt vivum! » - « Hei mihi! - respondit Hebraeus -. Tunc erat homo; nunc vere est Deus! »

P. d. V.

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 X 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS administratorem.

SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

TORQUATI TASSI

HIEROSOLYMA LIBERATA

a IOSEPHO TORALDO e versibus Italicis in
latinos conversa,

apud Vocis Urbis administratorem

ven. lib. 6.

EPISTOLARUM COMMERCII.

Cl. v. V. HER... Mendhusii. — Ut quae-
sitis de Angeli Secchii opere satisfaciam,
maiores notitiae mihi opus sunt.

Cl. v. V. L. D... Cephaludii. — Carmen de
festis popularibus, etc. suo tempore (Idib.
Iuliis?) edemus.

Cl. v. Ios.... WAB..., Varsaviae. — De
commentario gratias referimus; tua scripta
laudamus. In qua vero Vocis Urbis parte
faciamus de iis mentionem?

Cl. v. ANT.... ALL..., Augustae Tauri-
norum. — Operis illius quod petis pretium
ignoro. Aenigmata haud satis perspicua
visa sunt.

Cl. v. FR.... PAL..., Prosteiov. — Fon-
tani fabulae non prius prodibunt quam in
Voce Urbis iis τό τιλας appositorum fuerit....
Nova aenigmata exspectamus.

Cl. v. r. C. HOCH....., Mariaschein. —
Consilia tua nobis acceptissima evasere, eo-
que magis quod maxima ex parte iam re
exerceamus. De ceteris non nos in culpa ver-
samur sed ii, quos licet omnimode sollicitemus,
surditate laborant. Foederi quod pro-
ponis a multo iam tempore studemus....

Cl. v. CAM.... STRAS...., Villaco. — Nescio
quid respondeam de telonio, de ansario. Ae-
nigma non intellexi.

A SECRETIS.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

FORTUNATO CAPUZZELLO. I sepolcri di Ip-
polito Pindemonte. Versione in esametri latini
preceduta da una lettera del Prof. Felice Ra-
morino. — Romae edid. Loescher et Soc. (Bret-
schneider et Regenbergs), 1902 (Ven. lib. 1).

HORACE MARUCCHI. Le Forum Romain et
le Palatin d'après les dernières découvertes
avec deux plans et plusieurs illustrations dans
le texte. — Romae edid. Desclée, Lefebvre et
Soc., MCMIII (Ven. lib. 6).

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS COMM. VOX URBIS IN AN. MDCCCCIII

Premium subnotationis est in Italia Libell. 10; ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½; Coron. 15 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA.

Qui pretium ut supra miserit infra Ianuarium mensem anni MDCCCCIII, praeter Commentarii numeros omnes qui edentur ipso anno MDCCCCIII, accipiet *ad libitum*

a) Librum (vulgo « album ») praecipua Urbis referentem, pulchritudine insignem, atque Commentarii moderatore iubente expresse adstructum; *sive*

b) Urbis e Ianiculo monte prospectum (Tabulam aere cusam metr. 1,10 × 0,24); *sive*

c) Collectionem chartularum electissimarum, quae distinctae coloribus plurima de Roma, iuxta optimarum artium placita, referunt.

QUI NOVOS DABIT SOCIOS

elget insuper:

a) Libros de disciplinis omnibus, de bonis litteris, de Ecclesiasticis rebus quolibet e bibliopolarum catalogo, usque ad dimidium subnotationis annuae suae, id est in Italia ad Libell. 5; extra Italianam ubique ad Libell. 7,50; Marck 6; Sch. 6; Doll. 1½; Rubl. 3; Flor. 3½; Coron. 7½. Ipse electos libros describat atque Commentarii administratori significet; gratis mittentur, excepto impendio diribitorio Republicae debito; *sive*

b) E picturis Urbis grandes duas, photographice redditas, prouti voluerit ac significaverit; usque, ceu supra, ad dimidium annuae subnotationis;

c) *Sin potius cupierit, dimidium subnotationis premium ei remittetur qua pecunia dimiserit.*

Hac ultima conditione (c) modus datur sociis, quo si binos dederint socios novos, ipsi gratis Commentario fruantur; sin, possint amico favere, Commentarium dimidiato pretio praebentes.

Notatum vero plane volumus nos nova omnino sociorum nomina exspectare tradenda; non enim socios novos umquam existimabimus eos, qui nomen suum olim iam Commentario dederunt.